



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

338. An promotio carentis morum honestate sit ipso jure irrita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

nis, à quo is est impeditus; non tamen à beneficio talem ordinem non exigente. Garc. c. 12. num. 19. Sayr. n. 23. Less. loc. cit. Suar. n. 39. vide dicta supra de vitiatis corpore.

Questio 336. Num ergo electio irregularis sit ipso jure nulla?

Respondeo: ita habere sententiam communiorum, & sentire ferè AA. q. precedente ad respons. primam cit. contrarium tamen, & quòd solum jure irritanda sit talis electio tenent Felin. in c. inquisitionis. de accusat. n. 6. & 8. Laym. l. 1. r. 5. p. 5. c. 5. n. 3. Dian. p. 4. r. 2. resol. 79. Castrop. p. 6. d. 6. p. 5. n. 7. Pass. n. 511. & seq. idem apud eundem ut probabile tenet Suar. Cùm nullus sit textus juris expressè irritans talem electionem; sed ad summum existunt quidam prohibentes certos aliquos irregulares promoveri ad beneficia; prohibitio autem faciendi aliquid, non irritet factum, nisi munita decreto irritante. c. si soli. de concess. preb. in 610. Adeòque etiam ex regula jam aliquoties adhibita, quæ habetur. c. fin. de cler. excom. prohibitus exercere actum alicujus officii, est simul prohibitus eligi ad illud officium: plus non deducatur, quàm quòd electio talis sit cassanda, non secus ac electio excommunicati excommunicatione minore prohibiti eligi. Ad hæc irregularitas sit pœna gravis, quæ uti non incurritur, nisi in casibus jure expressis, ita etiam ei tribui non debet effectus in jure non expressus. Præterea ex natura rei, & spectatâ institutione irregularitatis per se irregularis non est incapax beneficii, cùm de facto cum irregularitate stet retentio beneficii antecedenter habiti; neque etiam electus ad beneficium, etiam curatum, statim ipso facto debeat exercere actum Ordinis. Ac denique pro hac sententia hæc stet conjectura, quòd Papa in collationibus absolvat à censuris, ne collatio sit nulla; non tamen super irregularitate, quòd eadem benignitate faceret, si pariter irregularitas collationem redderet nullam, Pass. n. 517. Peccat nihilominus talis, liberè recipiendo beneficium, quia in re gravi inobediens est sacris Canonibus; teneturque quamprimum potest petere dispensationem super irregularitate, ut plene & dignè fungi possit officio. de cetero non tenetur in conscientia dimittere beneficium, quamvis in foro externo electio talis ad instantiam partis sit cassanda. Pass. n. 519.

PARAGRAPHVS II.

De morum honestate, & carentia infamiæ.

Questio 337. Vtrum morum probitas seu honestas requiratur ad hoc, ut quis promoveri possit ad beneficia?

Respondeo affirmativè; morum siquidem probitas præcipua est qualitas, quam beneficiati habere debent, quia ex ea pendet præcipuus Ecclesiæ fructus, & hinc variis textibus, nempe c. cum in cunctis. de elect. c. grave nimis. de preb. clem. 1. de atat. & qualit. Trid. sess. 24. c. 18. cavetur vel maxime de hac qualitate inquiri. Castrop. de benef. d. 4. p. 5. n. 1. Hinc etiam cùm morum honestas ma-

gis quàm literatura in beneficiatis requiratur; carens hac honestate, ita ut deditus sit gravibus peccatis cum animo in iis perseverandi, inhabilis red- ditur, ut ei de beneficio provideatur. Abb. in c. dudum. de elect. Selv. de benef. p. 3. q. 2. num. 10. apud Castrop. loc. cit. n. 2.

Questio 338. Num igitur promotio talis, seu tali facta collatio (idem est de electione) sit ipso jure irrita?

Responder negativè Castrop. nisi delictum forte secum trahat suspensionem, excommunicationem, aut irregularitatem; peccatum enim mortale, & voluntas perseverandi in illo non impedit officium beneficio debitum exercere (sicut impedit omnimoda carentia omnis literaturæ) etsi impediatur exercere licitè. hinc etsi promotio talis criminosa sit mala, non est tamen ipso jure irrita. citat pro hac sententia Castrop. Navar. in c. si quando. de rescrip. excep. 7. nu. 8. & Miscellan. de orat. 34. n. 4. Azor. p. 2. l. 6. c. 7. q. 11. cùm autem collationis beneficii annullatio respectu criminosa potius ex jure Ecclesiastico quàm naturali proveniat ob infamiam, videndum, quoniam crimina commissa reddant committentem inhabilem, infamem, & à beneficiis exclusivum. Talia autem sunt, quæ habentur in c. constituimus. 3. q. 5. c. infames. 6. q. 1. de quibus vide Azor. p. 2. l. 6. c. 7. q. 3. hæc enim crimina eo ipso, quòd quis de illis condemnatus sit, reddunt illum infamem, infamiâ juris. infames autem infamiâ juris incapaces sunt beneficii acquirendi, etsi acquisito ipso jure non priventur, sed veniant privandi. Castrop. loc. cit. n. 3. quin & si quis ob commissum crimen condemnatus non est, gravata tamen est ejus opinio apud viros graves & probos, nec constat apud illos de emendatione, censet Castrop. ibid. n. 4. probabilis talem, durante hæc infamiâ facti, incapacem esse Ordinis & beneficii recipiendi, quia pro illo tempore irregularis est: ergo collatio ei facta est irrita; tum quia irregularis durante irregularitate est incapax beneficii; tum quia si contra textum c. cum in cunctis. conferantur beneficia iis, qui non existunt scientiâ & moribus commendabiles. electio eorum devolvitur ad Superiorem, quòd non fieret, si electio seu promotio talis fuisset valida. Castrop. loc. cit. citans Suar. r. 2. de relig. tr. 5. de juramento. c. ult. n. 4. & seq. Paris. de relig. l. 4. q. 3. in fine. Dian. & alios contra Garc. p. 7. c. 8. nu. 39. verùm de his agendum aliquantò accuratius, undè

Questio 339. Ad distinctius intelligenda sequentia, quid sit infamia facti & juris?

Respondeo ad primùm: infamia est notitia & opinio manifestata & divulgata extrinsecus voce (fama enim à sando dicitur) ortâ ex rationalibus & probabilibus conjecturis. (licet enim necesse non sit, ut ii, apud quos delictum diffamatum & divulgatum, sint testes de visu, quia tunc non esset tantùm diffamatum, sed notorium; vel etiam, ut opinio illa ortum habuerit à pluribus testibus de visu dignis, tunc enim esset manifestum, requiritur tamen, ut ea ortum habuerit ex indicis & conjecturis probabilibus, & sufficientibus ad hoc, ut viri providi graves & honesti opinentur ita esse, aliàs enim non erit fama, sed vox vana populi. Abb. in c. qualiter, & quando. nu. 19. Sylv. V. fama. Suar. loc. cit.) & habita à majore parte (ubi ob-

servat,